1310. 2. July   Morbio 19 (40)

In nomine domini anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo decimo die Jovis secundo mensis Julii. Indic-
tione octava. In broleto novo comunis Mediolani super pallatio seu camera que appellatur camera credentie sancti Ambro-
sii Mediolani. Coram domino Antonio de Gorgadellis iudice credentie sancti Ambroxii Mediolani. Contentus et confessus
fuit Conradinus filius quondam domini Petri Metalli civitatis Mediolani porte Ticinensis cum auctoritate predicti iudicis
se recepisse et habuisse a domino Petro Carne de Alliate filio quondam domini Antonii de Alliate eiusdem civitatis et
porte libras septem et medium imperialium pro completa solutione totius eius quod restabat ad solvendum dicto Conradino
ex illis libris octuaginta imperialium de quibus dictus dominus Petrus Carnis obligatus erat dicto quondam domino
Petro Metallo patri dicti Conradini per cartam unam obligationis factam anno currente millesimo ducentesimo octuagesimo
nono indictione duodecima die Jovis vigesimo secundo mensis Januarii tradita et scripta per Stefaninum filium
quondam Ottobelli Zochore civitatis Mediolani notarium. Insuper predictus Conradinus cum auctoritate predicti fecit
et facit dicto domino Petro Carni finem et pactum de non petendo et de non agendo ulterius et totius sui
iuris remissionem et refutationem de omni et toto eo quod eidem domino Petro petere vel requirere poterit seu
posset occasione predicti debiti. Et iuravit coram dicto iudice ad sancta dei evangelia corporaliter tactis scripturis
quod aliquo tempore non veniet contra predicta vel aliquid predictorum ratione minoris etatis vel aliqua alia causa que dici
posset vel excogitari. Actum ut supra ad banchum ubi dictus iudex reddit ius presente et scribente notario
Guidetino filio quondam Drudonis de Cassino porte Cumane civitatis Mediolani notario.

Interfuerunt ibi testes Ruffinus filius quondam domini Antonii de Alliate parrochie sancte Marie Beltradis porte Ticinensis
et Raynerius de Cixano filius quondam domini Guidoti de Cixano porte Nove parrochie sancti Bartolomei notarii ambo par-
tium. Et Petrus de Collegolla filius quondam Obizonis de Collegolla porte Ticinensis parrochie sancti Laurentii Maioris
Contrate fabrice omnes civitatis Mediolani rogati.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Ego Guidotinus de Cassino notarius civitatis Mediolani porte Cumane filius quondam domini Drudonis [illegible] subscripsi.

Ego Ardiginus filius quondam Chunradi de Dayrago civitatis Mediolani porte Vercelline parrochie
Monasterii Novi rogatus tradidi et scripsi.

x·rite colorchecker CLASSIC
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1817988131-13
DFG

1310. 2. Julij
Cusani

Milano

1310. 2. Julij

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 13 (40)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1817988131-13